Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Illo t: D·r·d·s· Nemo potest duobus dominis seruire.
Aut enim unum odio habebit: et alterum diliget· aut vnum sustinebit: et alterum contemnet· Non potestis deo seruire: et mamone.
Ideo dico vobis ne solliciti sitis anime vestre quid manducetis neque corpori vestro quid induamini· Nonne anima plus est
quam esca· Et corpus plus quam vestimentum· Respicite volatilia celi· quoniam non seminant neque metunt· neque congregant
in horrea· et pater vester celestis pascit illa· Nonne vos magis
pluris estis illis· Quis autem vestrum cogitans potest adicere
ad staturam suam cubitum unum· Et de vestimento quid solliciti estis· Considerate lilia agri· quomodo crescunt· quia
non laborant neque nent· Dico autem vobis· quoniam nec salomon in omni gloria sua· coopertus est sicut unum ex istis·
Si autem fenum agri quod hodie est· et cras in clibanum mittitur deus sic vestit· quantomagis vos modicum fidei· Nolite ergo solliciti esse dicentes· Quid manducabimus aut
quid bibemus· aut quo operiemur· Hec enim omnia gentes inquirunt· Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis·
Querite ergo primum regnum dei et iustitiam eius: et hec omnia
adicientur vobis· Dnica xvi· ad Ephesios·

Fratres: Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus
meis pro vobis· que est in xpo ihesu gloria vestra· Hui-
us rei gratia flecto genua mea· ad patrem domini nostri ihesu xpi·
ex quo omnis paternitas in celo et in terra nominatur· ut det vo-
bis secundum diuitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum eius
in interiorem hominem habitare xpm per fidem in cordibus vestris in ca-
ritate radicati et fundati· ut possitis comprehendere cum omni-
bus sanctis· quae sit latitudo· longitudo· et sublimitas et
profundum· Scire etiam super eminentem scientiae caritatem